

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

1052

1050

1056

1046

1061

1041

1101

1001

0951

0551

0051

Ende

Anfang

479

Paphos in Cypro etc. Hic autem mons Synai soli vero Deo dicatus est, qui est mons, in quo beneplacitum est habitare, in eo etenim Dominus habitabit in finem. Referunt de monte Atlas, quod nubes sua celsitudine excedat et quod ignotas bestias humanae vitae insidiantes habeat, et dicunt, tanta taciturnitate silere per diem, ut non absque horrore quodam et occultae divinitatis suspicione adeatur et aspectus squalidus et nebulosus appareat per diem, nocte vero ad instar coeli crebris lucere luminibus et resonare cantibus atque tinnitibus cymbalorum et fistularum Agypanorum et Satyrorum. Sed in monte nostro sancto est altitudo hominibus proportionata, nec sunt in eo monstra terrifica, lucem et tenebras sustinet sicut alia naturalia, nec sunt ibi draconum aliqua praestigia, sed cuncta divina et sancta.

Climax mons quidam in eadem dicitur esse regione secus mare rubrum, ubi foeminae prolixis barbis insignes dicuntur esse et crudelissime venationibus vacantes, tigresque habentes pro canibus, pardos et leones nutriendi, unde nemo ad montem illum potest accedere timore illorum foeminarum (b) crudelium, quae etiam nudae in viros armatos insiliunt eosque prosternunt, adjutaria habentes belluas, quas edomant. Non tales montem sanctum inhabitant, sed quidam esurientes et miseri, quorum omnis furor bucella panis data mitigatur. Possem multa inducere de terribilibus montium, propter quae hominibus terribiles redduntur et formidabiles, quibus omnibus caret sanctus mons Synai et e contrario conditiones habet desiderabiles, quibus redditur hominibus amabilis, ita, ut de ultimis mundi finibus ad eum homines illustiores confluant. Et tantum de monte Synai.

#### De reditu peregrinorum in monasterium sanctae Catharinae et multis sanctis locis in via.

Igitur adducti sunt nobis asini a monasterio sanctae Catharinae in monasterium XL Sanctorum, quod ascendimus et ad vallem, quae mediat inter utrumque montem, ad latus horti descendimus. Ubi autem quasi ad finem horti venissemus, per

